



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Forvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

habet locum in bonis aduentitijs: secundum glo. in d. l. si viua, sed mater nis tantum.

²¹ **Q**VO MODO filius possit agere contra patrem, vide Pa. in cap. non est de spon. & glo. in c. quæritur. 2. q. 7. concluditur, quod sic, ratione peccati, alias non est admittendus.

²² **F**ILII tenentur parentes amare, non solum corde, sed etiam signo extrinseco: nec a mortali excusantur, qui nunquam parentibus signum amoris ostendunt, sed semper dure loquuntur, & videntur eos odisse: quia dicit Hieronymus lib. de honore parentum: Red de amoris vicem. Nam sic agendo, contristant parentes, quod est contra charitatem, & pietatem.

²³ **S**I filius de voluntate patris tacita, vel expressa incipiat studere, cogetur pater etiam nolens subuenire in necessarijs ad studium, secundum glo. c. ad Macedoniam. l. Macedoniam. nisi ingenij obtusitas obstet, secundum Bal. ibi. Secus si expressè cum causa rationabili prohibuisset.

²⁴ **B**ERTA hodie remansit vidua, viro eius interfecto, altera die accepit maritum, & tempore nouem mensium, vel circè peperit filium: quæritur cui succedet, vel primo marito, vel secundo, cum equaliter vtriusque esse possit. Ego dicerem cum Iaco. de bel. quod succedet illi, cui magis assimilatur, quia vt in pluribus, filij parentibus assimilantur, & sic per bonas coniecturas proceditur. Si verò nullo probabili modo in notitiam veritatis venire potest, erit eius, in cuius domo natus est: vel fortè posset dici, quod hæreditas vtraque æqualiter pertinebit ad arbitrium principis, cum non appareat cui magis succedere debeat. Bartolus autem reprobatur responsionem de assimilatione: dicerem tamen, quod ex omnibus coniecturis simul iunctis iudicandum esset. Silu. ibi. §. 17.

FORNICATIO.

FORNICATIO tripliciter capitur. Vno modo pro omni peccato,

secundum Thomam secunda secundæ quæst. 151. ar. 2. Alio modo spiritualiter pro idololatria. Ierem. 5. Tu autem fornicata es, &c. Tertio pro omni illicito coitu. canone meretrices. trigesimo secundo, quæstione quarta. Proprie tamen accipitur, vt distinguitur contra alias species luxuriæ, & est concubitus naturalis soluti cum soluta omni vinculo, etiam ordinis & voti: & est peccatum mortale, quia separat a regno Dei, vt dicitur Galat. 5. Est tamen minus alijs speciebus luxuriæ. Quia minus de inordinato, & in naturali habet.

² **N**VLVS fornicando excusari potest ex ignorantia, cum hoc sit contra ius naturale, cuius ignorantia nemine excusat. prima quæst. quarta per totum. & toties, quoties quis ad meretricem accedit, peccat mortaliter. Similiter inducens aliquem ad hoc, mortaliter agit, infra, Luxuria. §. 1. de clerico fornic. supra, Clericus. §. 12. & 13. Quomodo filij ex fornicatione nati legitimentur per sequens matrimonium. supra, Filius. §. 11.

FORVS.

¹ **F**ORVS masculini generis, locus est vbi iudiciu exercetur: c. forus. de reg. iur. & sic communiter in iure capitur. Quando verò est generis neutri, vt forum signat territoriu iudicis vbi habet potestatem in sceleratos. li. pupuillus. §. territorium. ff. eod. Quandoque notat locum nundinarum, secundum Pa. in c. forus. Vnde dicitur forum rerum venalium.

² **F**ORVM sortitur regulariter quis: secundum glo. in cap. 1. §. q. 6. vel per contractum. ff. de iudi. l. hæres. vel propter crimen. in dict. c. 1. vel quia reus: quia actor debet sequi forum rei. cap. neminem. 3. q. 6. vel propter rem. cap. sanè. de foro compet. vel propter religionem: vt causa iuris patronatus, & decimarum. c. quanto. de iud. vel propter virum: quia vxor forum viri sequitur. l. pe. ff. de iurisd. omn. iudic. & propter multa alia. Vide. 3. q. 6. & de fer. comp. ibi sunt multa. c. ad hoc Vn de ver-

de vetus: Contractus, crimen, reus, & res, religioq; Vir, ratio similis, vel pro- uocat, atque recusat.

FRAVS.

FRAVS ad modum mendacij peccatum dicit, quæ si sit perniciofa in damnum proximi notabile, est mortalis. Secus si circa minimum, aut sit iocosa, vel officiosa, vel præter intentionem, tunc in his est venialis. Cùm tamen aduertit, tenetur damnum refarcire, & remedium apponere, si potest, famæ propriæ, ne de eo, tanquam de doloso, scandalizetur. Aliter grauius peccaret præbendo scandali materiam proximo.

FRAVS & dolus nemini debet patrocinari, in capitul. ex timore, de re scriptis.

FRAVS commissã in legem, vt de persona ad personam, de vna re ad aliam, de vno cõtractu ad alium, & huiusmodi, non est sine peccato: quia præuaricatur lex. Facit not. in c. intelli gentia, de verbo, signifi. & c. quanto, de priuileg.

FRAVS fieri non dicitur scienti, & cõsentienti. l. nemo. ff. de re. iu. supra. Dolus. vide aliquid de hac materia, quia parum differunt. Nam fraus principaliter in factis est, dolus in verbis.

FRIGIDVS.

FRIGIDITAS quomodo impediãt matrimonium, vide infra, Matrimonium. §. 47. 48. siue sit secũdum temporis conditionem, vt in sene, siue secũdum materię complexionem.

FRVCTVS.

FRVCTVS in corporalib; de quo loquuntur canonistæ: quidam secũdum Bartol. in Lex diuerso. c. de rei vendicatio, sunt naturales: vt naues, pira, & c. alij sunt partim naturales, partim industriales: vt lana, segetes, & c. alij dicuntur industriales, vt qui acquiruntur ex negotiatione, vel artificio: alij verò, qui non proueniũt ex re, dicũtur ciuiles: vt est pensio domus, vel huiusmodi. l. si naues. ff. de rei ven. Et horũ quidã sunt honeste percepti, quidam inhoneste: vt si locauit do-

lum meretrici, vel publico vsuratio ad talia officia exercenda. l. ancillarũ. ff. de pet. hære.

FRVCTVS percepti bona fide (vt colligitur ex c. grauis, de restit. spoliat) siue naturales, siue industriales, siue cõ titulo, siue sine titulo, in conscientia debent restitui, si extant. Si autem quis eos consumpsit, tenetur restituere tantum, in quantum locupletior factus est: vt puta, quia in eam rem expedit, in quam oportuissimè expẽdere tantum de suo, vel aliqua emit, ex quibus patrimonium suum ampliat: tamen de fructibus industrialibus rei lucrosa diminet, quantum industria sua æstimanda est in dicto negotio exercitata, in vtilitatem, seu augmentum ditorum fructuum accipiendorum: quia nemo suis stipendijs militat. Si verò non est factus locupletior, de rebus consumptis non tenetur. l. vtrum. ff. de petitiõ. hæred. De lucro factõ ex re non lucrosa, vt ex pecunia, non tenetur, nisi de interese expresso, & nõ de possibili.

FRVCTVS dicuntur, qui deductis expensis factis colligendorum, congregandorum, & conseruandorum fructuum gratia supersunt, tam in bonis, quam in malis fidei possessoribus. l. si a te. §. fructus. ff. de petitiõ. hæred. Quanto tempore possessor bonæ fidei possint vsucapere dictos fructus. vide Sil. libi. §. 2.

FVGERE.

FVGERE sine peccato potest, qui iuste quæritur, vt capiatur, siue data sit contra eum sententia, siue nõ, dummodo non interueniat violentia contra officiales, qui vellent eum capere: quia ipsi habent iustum bellum cõtra eum. c. resistit. 11. q. 3. & ex parte fugientis est iniustum, ideò mortaliter peccaret. Et idem est de auxiliantibus.

FVGERE licet incarcerato iniuste, vt patet. Si vero iuste detinetur, & nõ propter mortem, vel membri abscissionem inferendam, sed propter aliud, puta ad punitionem, nõ licet fugere. Facit quod not. gloss. in c. ius gẽtium. d. r.